



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quod apud quercum Mambre ecclesiam fieri iusserit. Cap. L.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EUSEBII DE VITA

& aduersarios Dei, præclara victoriæ erexit trophæa. Ciuitates item, quæ apud cæteras gentes videbantur, vel maximè propter splendorem excellere, templis egregiis magnificisque exornandas curauit: sicut ex præcipua vrbe totius orientis, quæ nomen traxit ab Antiocho, cõstare poterit. In qua tanquam in ciuitate illius gentis ac regionis primaria, ecclesiam tum propter amplitudinem, tum propter pulchritudinem maximè eximiam Deo dicauit: quippe vniuersum templum longis porticibus extrinsecus adiectis circumdedit: sanctuarium autem interiorius ad infinitam erexit altitudinem: quod quidem ad speciem solii octangularis fabricatum, multis ædiculis exedrisque vndique constructis, compluribus item tabulatis super terram eminentibus, denique fornicibus subter eandem abditis, ex omni parte circumsepta fuit. Quam etiam permagna auri ærisq; copia, & reliquæ prætiosæ materiæ ornamentis decorauit.

Quod apud quercum Mambre ecclesiam fieri iusserit.

CAP. L.

Ista quidem erant augustissima templa ab imperatore Ithactenus consecrata. Verùm, vt audiuerat ipsum seruatorem, qui nuper in mundo versatus fuisset, etiam olim sanctis viris ex Palæstina propter quercum Mambre (sic enim appellabatur) Diuinitus apparuisse, ibi quoque Deo viso templum exedificari mandat. Gentiũ ergo præfectis imperatoris voluntas per literas ad singulos scriptas significata est: quæ eos admonuit, vt quod esset imperatum, illico ad exitum perduceretur. Nobis etiam, qui hanc historiam literis mandamus, epistolam accuratius scriptam misit. Cuius exemplar, mihi consentaneum videtur huic præsentis sermoni adnectere, quò imperatoris sanctissimi studium & diligentia plenius intelligatur. Proinde quo liberè pro his, quæ gesta acceperat, nobiscum expostularet, ista totidem verbis perscripsit.

Victor